

elementis : per hoc possumus concludere generationem omnem inter cælum & elementa fieri. Nunc videndum est quisnam sit fœtus huiusmodi partus, certe finis est generationis, vt corruptionis finis, est generatio. Sed vt apertius loquar, fœtus est mixtum ex vtriusque parentis substantia, productum ad sui perfectionem. Omne indiuiduum est mixtum perfectum, quia licet aliquando fuerit aliqua ex parte deforme, non est hoc adscribendum naturæ nec formæ, (quæ non contingit errare) sed materiæ (vt superius dictum est) indispositæ. Videntur ergo plurimum errare, qui simpliciter vocant indiuidua & potissimum vegetabilia : nisi fortassis hoc faciant respectu medicinarum ex pluribus mixtis, & indiuiduis compositarum, & sic quodlibet mixtum, vnicuique simplex esse somniant : hinc venit appellatio Simplificistarum his applicata, qui vegetabilibus dignoscendis operam dant. Nunc ad simplicem illam medicinam reuertamur. Quicumque talem negat medicinam dari posse, quæ valeat in corruptibilitate sua quamvis corruptionem indifferenter corrigere, cælum inferiora sustentare vel gubernare negat. Sed ne videamur naturæ secreta lenocinio prostituere velle, pauca de his sapientiæ filijs sufficiant : hi facile quid per hæc velimus intelligunt. Qui vero nostram ignorant artem & rident, fugiant hinc procul, quoniam illis in ruinam est posita : vt quærentes non inueniant, & audientes non intelligant. Non est proijciendum rosas & margaritas ante porcos, ne pedibus eas tanquam betas labijs eorum insuetas, conculcent. Sapientia filij spiritu, non ore hauriunt alimentum, vt mente magis quam corpore viuant. Interim tamen, vt sit mens sana in corpore sano, cupiunt, donec à naturæ vinculo soluta, tria hæc in vnum rursus vnita, viuant in æternum.

*Finis prioris partis Clauis Philosophiæ Chemisticæ.*

SECUN